

Alexandrinis in obsidione alicuius castris obsessi voluntate utriusque partis, absque voluntate illorum de Alexandria. Item jurant, quod venient in succursum Alexandrinorum, & auxilium eorum cum tot militibus, quot ab eis petierint, vel exegerint, si eos habuerint, & si eos tot non habuerint, venient cum ipsis omnibus, quos habuerint, & hoc facient bona fide, & quoties potestas, & consulatus eorum Alexandrinorum eis mandaverit, vel dixerit expensis, & perditis ipsorum Astensium, & hoc facient ad diem, & terminum ab Alexandrinis ei praescriptum bona fide, & sine fraude. Item jurant incipere guerram Marchioni Montisferrati, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, & cuilibet alii singulari personae, & omnibus aliis personis, quibus Alexandrini per commune guerram habent, vel habuerint infra viginti quinque dies, postquam eis per potestatem, vel consulatum Alexandriae, vel eorum nuncium ad hoc constitutum denunciatum fuerit; & ea incepta ulterius facere vivam (1) guerram per commune eorum, nec exinde pacem, nec treguam recedutam absque voluntate, & consensu potestatis, vel consulatus Alexandriae pro tempore existentis, & eorum credentiae per campanam collectae totius, vel majoris partis, his exceptis, qui inferius excipiuntur. Item jurant, quod non permittent eorum negotiatores ire cum negotiatione per stratas Marchionis Montisferrati, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, quas nunc habet, vel pro tempore habuerit in terram ejus, ubi pedagium, vel teloneum ab ipso Marchione, vel ejus nuncio accipiatur, dum ipsi Astenses, vel Alexandrini guerram cum eo per commune habuerint, & totam illam negotiationem eorum, quae nunc est extra, bona fide facient domum redire, nec ulterius negotiationem, vel alia, dum guerra eorum, vel Alexandrinorum per commune duraverit per praedictas stratas redire *per mensem* (2). Item jurant renovare haec Sacramenta in capite quinque annorum, si a potestate, vel consulatu Alexandrinorum pro tempore existente per se, vel eorum nuncium ad hoc constitutum eis requisitum fuerit, vel autem si Astensibus, vel Alexandrinis placuerit, & hoc facient nisi voluntate, & parabola potestatis, vel consulatus Alexandriae pro tempore existentis remanserit, haec omnia jurant Astenses attendere, & observare bona fide, & sine fraude, & malo ingenio omni tempore salvo eo, de quo ipsi Astenses infra scriptis locis, atque hominibus speciali juramento tenentur. Qui sunt hi: Albenses, Vercellenses, Carioneses, Derthonenses, Episcopus Taurinensis, Otto de Rivalta, illi de Montecucco, Obertus de Coconato, illi de castro Aivaldo, Marchio de Salucis, Savilianum, Romanisium, homines de Gorena, Pollentium, Rubaldus de Braida, Dominus Vermus de Ceva, Marchiones Incisa, excepto Antico, homines Masii, homines Lanerii, Dominis exceptis, homines Montaldi de ultra Tanarum, Henricus de Montebersario, Tiburcius de Malamorte, & Januenses, & salvo Mediolano; ita quod commune de Asta contra commune Mediolani, ex hoc juramento nullatenus teneatur, & salvo eo, quod potestas, vel consulatus Astensis, & Alexan-

drinus pro tempore existens in praedictis omnibus communi consilio, & eorum voluntate, & eorum credentiae per Campanam collectae totius, vel majoris partis possint addere, vel diminuere, ita quod de addito teneantur, & de diminuto sint absoluti; & sicut Astenses jurant Alexandrinis in omnibus istis, ita Alexandrini eodem modo in omnibus, & per omnia jurant Astensibus, & salvo, quod ex hoc jurejurando commune Alexandriae contra commune Mediolani nullatenus teneatur, & salva fidelitate Anselmi, & Dalfini marchionum de Bosco, & salva pactione Marchionum de Gavio, & communi de Gavio, & salvo eo, de quo commune Alexandriae teneatur pactione, & juramento, communi de Cassinis, & salva concordia civitatis Januae, & Marchionum de Ancisa, & hominum de Masio. Haec autem omnia ista D. Albertus Fontana potestas Astensis pro communi Astensi, D. Vermus a Pusterla potestas Alexandriae pro communi Alexandriae bona fide, & sine fraude juraverunt supra sancta Dei Evangelia observare, & facere tempore eorum regiminis, & facere jurare quisque eorum homines suae civitatis secundum formam praescriptam, & facere jurare potestates, vel consules intrantes post eos hoc idem observare, & quod alias potestates, & consulatus hoc idem jurare facient, ita ut omni anno potestates, vel consulatus pro tempore existentes futuros consulatus, vel potestates hoc Sacramentum subire facient, & sicut supra legitur. Subscripti praedicti Vermus de Pusterla, potestas Alexandriae vice communis Alexandriae, & Albertus de Funtana potestas Astensis vice communis de Asta, alter alteri stipulanti attendere promisit. Actum isto loco feliciter . . . Interfuerunt testes rogati Dominus Oliverius de Pusterla, Guifredus de Pusterla, Ebbus Frigidus, Burgundus de Domino, Edo, Arnaldus Bucca, Borellus, Arnaldus de Rufino, Bucca.

(1) *Al. miram.* (2) *Forte permittent.*

*Conventio Vercellensium cum Astensibus  
& Alexandrinis.*

M C X C V I I I

94

Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo octavo, indictione prima, die lunae secunda exeuntis martii in civitate Vercellarum, in domo communis, praesentia testium, quorum nomina subter leguntur. Consules communis Vercellarum, videlicet Bonifacius de Ugozono, Ubertus Rubeus de Arborio, Bernardus Belevolus, Brixianus Advocatus, Archinus de Centorio: Item consules justitiae ejusdem civitatis, videlicet Jacobus Vicecomes, Joannes Oculus bellus, Nicolaus Porcella nomine communis Vercellensis promiserunt, & supra sancta Dei Evangelia juraverunt attendere, & observare pactum, & societatem nuper factam inter Astenses, & Vercellenses, & Alexandrinos, prout in cartulis inde factis continetur. Infra scripti consules inde hanc cartam fieri rogaverunt, ut supra. Interfuerunt testes D. Vermus Selvaticus de Ast, Jacobus Boretus de Ast.